argumentorum tamquam e quibus dicantur significatio et demonstratio ad reprehendendum
ducatur. Ut igitur hactenus satis est. Ubi quidem ita accepto et ita occepi
proposito. Sed quoniam audivi hominem ad has discendi epulas recepi sic ac-
cipiam ut reliquiarum sit potius aliquid quam te hinc patiar non satiatum
discedere. Quando ergo unus quisque eorum locorum quos exposui sua quaedam
membra habet ea quam subtilissime persequamur. Et primum de ipsa diffinitione
dicatur. DE DIFFINITIONE

Diffinitio est oratio quae id quod definitur explicat quid sit.
Diffinitionum autem sunt duo genera prima. Unum earum rerum
quae sunt. Alterum earum quae intelleguntur. Esse ea dico quae cerni tangi (vel ve)
que possunt. Ut fundum aedes parietem. Stillicidium mancipium pecudem
Supellectilem penus et cetera. Quo ex genere quaedam interdum nobis (vel vos) diffinienda
sunt. Carum autem rerum quae non sunt non esse rursus ea dico quae tangi demonstrari-
ve non possunt. Cerni tamen animo atque intellegi possunt. Ut si usus capionem
si tutelam si gentem si agnationem diffinias quarum rerum nullum subest quasi cor-
pus. Est tamen quaedam conformatio insignita et impressa intellegentia quam
notionem voco. Ea saepe in argumentando (vel do) diffinitione explicanda est.
Atque etiam diffinitiones aliae sunt partitionum aliae sunt divisionum. Partitionum
cum res ea quae proposita est quasi in membra discerpitur ut si quis ius civile
velit dicat id esse quod in legibus senatus consultis rebus iudicatis iu-
ris peritorum auctoritate edictis magistratuum more aequitate consistat.
Divisionum autem diffinitio formas omnes complectitur quae sub eo genere sunt quod diffi-
nitur hoc modo. Abalienatio est eius rei quae mancipi est aut traditio alteri nexu
aut in iure cessio inter quos ea iure civili fieri possunt. Sunt et alia genera
diffinitionum. Sed ad huius libri institutum illa non pertinent (vel nichil). Tantum est
dicendum qui sit diffinitionis modus. Sic igitur veteres praecipiunt. Cum sumpseris
ea quae sint ei rei quam diffinire velis cum aliis communia usque eo persequi dum proprium
efficiatur quod nullam in aliam rem transferri possit. Ut hoc hereditas est.

[Margin: id est supellectile]
[Margin: Divisio diffinitionum]
[Margin: [illegible] ... consistat]
[Margin: [illegible]]